231 47.

# DEO OPT. MAX.

## UNI ET TRINO,

### VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA,




*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-primâ mensis Aprilis, anno Domini* M. DCC. LXIII.

## PRÆSIDE,

M. HENRICO-JACOBO MACQUART, Doctore Medico, Librorum circà Medicinam, vel Chemiam, vel Historiam naturalem, Censore Regio.

*Utrum Domos nuper extructas habitare noxium?*

I.



INNUMERA ab aëris & anni temporum omnigena sævitie incommoda primævos homines hospitia seu asyla quærere compulerunt. More ferarum, in antris recesserunt primùm; idcircò ea construxisse videbatur natura. Sol autem vivo calore cuncta fovens & nutriens deficiebat, vita languebat. Inde confugiendum ad diverticula quæ recrearet sol naturæ parens. Itàque arbores jam cædunt, in orbem extollunt, imitantur antra quæ dûm à calore, imbre, frigore tutos præstarent luce non orbarentur. Nondum tamen ità luxuriat foliorum umbra ut à cœli tempestate membra sint immunia; flant intereà venti, crescit hyems, jamjamque labaret vitæ flammula, ni ramulis alternis trabes *jugumentando* (*a*) lutoque obstruendo novus hospes cœlum grave quasi averteret. Ità exurgit vera domus, sed mens irrequieta non silet, ambit majora; commodiora & splendidiora ædificia, naturam omnem brevi conducit, & quæ in usus meliores recondiderat, in lucem eruit. Terræ viscera aperit, saxa, ferrum, plumbum, aurum, argentum, &c. effodit. Neque diù miseri mortales ignoraverunt naturam omnem impunè ità conduci ad luxum & commoditates; experientiâ crudeli facti doctiores, in delectu aut præparatione materierum quibus ad extruendas ædes utebantur, toto animo versari studuêre: & vetitum fuit ne uteretur trabe recentiori, lapidibusve quin per longum tempus sicco aëri objectæ fuerint. Hodie verò & Parisiis præsertim, nedum iisdem adhibendis cautelis invigilemus, quin contrà infaustâ luxûs exagitati cupidine, omnem & ædificiorum pompæ & eorum præproperæ constructioni curam impendimus. Egressus ex urbe post mensem unum aut alterum regrediaris. Quod solum erat, jam minatur cœlum. Quì fit tale prodigium? Nil diviti arduum aut insuperabile. Cupit, illicò moventur mille brachia, eruitur terra, procumbunt arbores, metalla fluunt, teruntur colores, fervet natura omnis, & adest palatium. Jam superbus hospes excipitur, securus an tutus?

(*a*) *Vitruvii* Architect. lib. II. cap. 1.

## I I.

MATERIES ex quibus conficiuntur domus, licet infinitæ numero, in duas tamen claſſes à Medicis diſpeſci queunt; Priores, ut lignum, lapides, calx, gypſum & arena ad extruendas ædes; poſteriores, ut vernix, ceruſſa, ochra flava & colores omnimodi ad eaſdem honeſtandas tantummodò conducunt. Ligna ædificiis conſtruendis dicata vulgò ſunt àvernus, alnus & caſtanea. Hæc præ omnibus lignarii fabri in pretio habent, quia quamvis multa alia duriora reperiantur, nihilominus aptiſſima ad magnum ſuſtinendum pondus omnia recenſentur. Sed *Raiio* aſſerente, progreſſu temporis tantum valent indurare, quantum à nimiâ humiditate præſervantur: non igitur civium ſanitati, minus etiam operis diuturnitati conſulunt mercatores, dum lupariarum inſulâ campo ubique aperto ligna venalia omni hyeme exponunt.

(a) Bonbanc, Cliquart, Liais.

Saxa conſtruendis ædibus uſitata nobis ex (a) Bonbancii, Cliquartii, Liaiſiique latomiis advehuntur. Cum ſaxo micaceo fiſſili, ſaxo micaceo corneo granulis puculato, Saxo cotaceo compacto albicanti vix micaceo conveniunt. Ex terrâ ſubtili & fluido aqueo quem in maximâ quantitate intra partes retinent, ſuam primam ducere originem docet autopſia.

Calx ſubſtantia illa poroſa, ſicca & alkalina, è lapidibus calcariis fortiſſimæ calcinationis beneficio paratur. In ædibus tam condiendâ arenati materiâ quam obvolvendis muris à nonnullis adhibetur. Cum acidis & aquâ effervescit, in illâ autem diluta latentem vim ignis prodit.

Gypſum * marmor fugax opacum quorumdam, nobis calx lapidis ſpecularis; è terrâ calcariâ ſubtili & acido vitrioli conflatur. Præſtantiſſimum illud eſt quod in fodinis Montis-Martis præparatur. Eo utuntur operarii ad domorum areas & concamerationes.

Vernix ex reſinis ſpiritu vini ſolutis in genere conficitur; inter cætera quibus ædes ſuperinducuntur, ea eminent quæ ex therebentina, maſtiche, gummi elemi, gummi copal & ſandarachâ præparantur. Tria adhibentur, alia ſiccativa, alia minus ſiccativa, alia tandem pinguia.

Colores quibus operarii olim parietes illiniebant, ex argillâ vulgari, ochrâ flavâ, gur, ceruſſâ, calce etiam & aliis aquâ ſubactis conficiebantur. Genius humani generis inimicus, *Joannes Van-Eych*, ſufflavit artem hanc, quâ metalla ope olei mutarentur in lamellas vitreas parietibus, lignis facilè & ſolidùm applicandas. Eorum corporum nunc effectus examini Medico ſubjiciamus.

## I I I.

LIGNUM quale in ædibus vulgò & hodie adhibetur, intrà primos menſes irriguam aquam ſtillat. Pars quæ in auras avolat, humiditatem aëri inducit, qui poſteà infrà pectus & ventriculum receptus, vel toti corporis ſuperficiei incumbens, fibras laxat & ſolvit, tranſpirationem ſupprimit, indè dolores ad artus & rheumatiſmi. Interdum verò rimas agit, quæ madore perpetim deſudante illinitæ, non ſatis renovato aëre, muceſcunt; hinc cujuſdam partis ligni extractivæ ſolutio, putridorum ideò effluviorum emanatio, quæ in aëre recepta paſſim circumvolitant, eum afficiunt, corporis repagula permeant, ſpiritus animales figunt, motum humorum ſufflaminant & ſtuporem

* Gypſum cum pulvere carbonum deſtillatum, dat aquam ſulphureo ſpiritu fœtam, ac deindè, aucto igne, verum ſulphur emittit. Tractatum cum fluore albo, hepar ſulphuris efformat; quod ſi è contra fundatur in crucibulo cum ſale tartari puriſſimo, aut bulliat in lixivio forti alkalino, tunc ex utroque proceſſu fundit optimum tartarum vitriolatum; terra verò ſuperſtes eſt vere calcaria, acidiſque in ſal enixum cum efferveſcentiâ ſolvitur. *Vide Opuſcul. Chimic. Margraf.*

inferunt. Notatu dignum est aërem halitibus fermentationem putridam subeuntibus coinquinatum, maximè cerebrum suis implendis muniis ineptum reddere ità & emollire, ut nervorum tonus laxetur & prænarrata mala subsequantur. Nec parvam quoque noxam ligna resinis referta, ac præcipuè si sint ex abie, cupresso, terebintho & aliis similibus afferunt. (*a*) Multos videre est quotidiè qui eorum gravem odorem sine capitis dolore ferre non possunt. Indè sanè liquet, quare lapides rudes, ut ut nullum tetrum odorem spirent, nihilominus tamen acerbis damnis urgeant. Vix diruuntur è rupe, cum aquæ ope maximâ quantitate absorptæ, in tabulas scindantur & sine morâ in ædes mutentur. Aqua autem dum diffluit undique, dum rorant muri, quid sanitati? Sed longè alia imminent mala, cum accedit vapor ex calce & gypso exhalans. Intra fauces & pulmones receptus, raucedinem, tussim, dyspneam, &c. producit. * Calx in aquâ extincta substantiâ salinâ potissimum gaudet; muris calce obductis, sal illud, quod cubiculi calor evaporationi subjicit, ore & naribus excipitur, pulmones petit, & eorum substantiam plus quam par est constringendo vitiat. Similiter aqua à fabris murariis, quò gypsum pertractent adhibita, dum avolat, sales acres qualitatem pectori infestam mittentes secum trahit. Ejusdem noxiæ indolis est odor, qui ex conclavi recens aut vernice, aut diversis coloribus obducto, in aërem diffusus, naribus hauritur. Ingens enim est odorum potentia in partes quæ motum & impetum in corpora agunt, quod apparet in odoramentis præsertim graveolentibus, quæ quasdam mulieres in suffocationes vel hystericas convulsiones conjiciunt. Quum itàque in odore diù versantur qui cameram recenter illitam incolunt, & talem locum calefaciunt, in proclivi est judicare quam ob causam ii ut ut sint crassi & proceri homines, inquietudine & jactatione corporis, ægrâ & summè anxiâ respiratione, appetitûs prostratione, sensuum alienatione, languore, artuum debilitate & aliis similibus afficiantur.

(*a*) *Ramazz.* de morb. artific. Supplementum. c. 6 p. 670.

## IV.

APERTISSIMA quamplurium Medicorum testimonia dictis fidem facerent, si rationi negaretur (*a*). « Hermocrates, ait divus senex, qui » secundum novum murum decumbebat, igne hoc est vehementissimâ febre » correptus est. Cœpit ex capite lumbisque dolere, præcordia molliter con» tendebantur, lingua verò per exordia deusta fuit, confestimque surditas » obnata est, somni non aderant. . . . . (*b*) Notabilis quoque est historia ab Hoffmanno referta. « Accidit, inquit, hic fatalis casus; dum tres filii, in» fantes adhuc, Consiliarii Aulici, aliquot dies in camerâ non ità pridem » calce obductâ dormiverunt, omnes intrà duos dies anginâ suffocati pe-

(*a*) *Hippocr.* Epiderm. lib. 3. sect. 7.

(*b*) *Hoffm.* Pars. 2. cap. 9. Medicin. rat. Systém. de rebus venenatis in aëre.

* Terra calcaria non excocta, aut cum aquâ mixta, nullum salinæ indolis indicium præbet, at quam primùm excocta & quanto magis excocta, tunc nulla etiam salinæ materiæ præsentis documenta dat; sed rectè ac decenter combinata cum aquâ, ita illi adhæret, & sese conjungit in salinam substantiam, in aquâ limpidâ dissolutione liquescentem, ut corrosivam suam naturam, uti priùs retineat, imò majorem, atque etiam volatilitatem acquirat, & cum ipsâ aquâ, sola aquæ evaporatione dissipetur. *Specimen Beccher. Stahlii*, *pag.* 63.

*Newmannus* per calcis destillationem cum aquâ spiritum obtinuit salinum, violarum syrupum in viride tingentem.

*Ludowic*, destillando spiritum salis cum calce vivâ, obtinuit quoque merum alkali volatile, hinc rursus probatur quod non adsit sal jam efformatum in calce, sed tantum terra summè attenuata, quæ, adjuvante aquâ aut spiritu salis, facilè in mixtionem verè salinam, imò volatilem transit.

Vide quæ passim leguntur in annotationibus Chemiæ *Lemery*, Authore M. *Theodoro Baron*, Doctore Medico, Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Socio. Vide etiam Opusculum M. *Roux*, Doctor. Medici, Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalensis Socii, quod inscribitur *Recherches sur la chaux*.

rierunt. Nuper & non procul à Parisiis in castro Gallicè dicto *des Maisons*, operarii plurimi postquam per aliquot horas dormiverunt, in loco calce recens obducto, phrenitici, vertiginosi, delirantes & de futuris balbutientes exsurrexerunt. Ars nostra restituit tandem sanitati & rationi. Neque hoc loco prætereunda est historia quam adfert Tulpius, (*c*) ubi memorat, « virum splendidum cum totâ familiâ quæ eidem accubuerat mensæ, in vertiginem, ardorem gutturis, vomitum, præcordiorum angustiam, aliaque præsentis veneni indicia incidisse ». Ab ancillâ aut ab alio, cibariis quicquam nefarie fuisse permixtum, protinùs crevit suspicio; sed eventus docuit, « ex pariete recens illito in patinam decidisse sulphuream illam calcis efflorescentiam, quæ copiosissimè stabulabatur illic loci ». (*d*) Jovianum Imperatorem odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis, grave quiescentibus erat, exanimatum multi opinantur. Spectat hìc quoque observatio Boerhaavii (*e*), ubi narrat se vidisse Hagæ-Comitum, quod nitida domus citò inhabitata, fecerit uni mortem, aliis pessimas paralyses quæ nec fomentis, nec balneis curari poterant.

(*c*) *Tulpii* Observ. lib. 3. cap. 41.

(*d*) *Eutrop.* Hist. Roman lib. 10. c. 18.

(*e*) *Boerh.* Prælection. Academ. de morb. nervor. quas edi curavit *Jac. Van-Ems*.

V.

EX his patet quam utilis esset hæc consuetudo, ne scilicet, recenter extructam domum, nisi Romanorum more uno aut altero elapso anno, quivis habitaret. A variis enim exhalationibus probè defœcatus aër, nec tenuissima vascula nimis constringeret, vel justò plus laxaret, nec partium fluidarum compagem solveret, vel attenuaret, sed potius solidorum motum contractorium & expansivum servaret, fibrisque debitum robur & convenientem tonum fœneraret. Notandum tamen periculum insuper aliud imminere, dum parietes ex resinis olentibus spiritu vini solutis obducuntur, nam mutato aëre odor renovabitur. Itàque, ut suadet *Pancirolli* (*a*), modò in conficiendo vernice resinam odore linquentem adhibeas tutus ibis. Sed objiciet aliquis divitum lacunaria plebisque tecta, etiamsi variis coloribus recenter illita, quotidie habitari impunè. Id nunquam contingit nisi priùs accensis ignibus domos arefacere studuerint, eoque in rerum statu de tempore quo nulla effluvia avolant, quæstio est, dum agimus de inquinato aëre malorum irritamento. (*b*) Errorem attamen abjiciant, qui hâc cautione, ædes calce aut gypso recenter obductas, nunquam deleteriam participare indolem autumant. Periculum intendunt nedum depellant. Elapso enim aliquo tempore, præsertim humido aëre, imæ colorum inductiones calcisque crustæ, à nimium promptâ ignis actione non exsiccatæ, suâ vice vapores acres fundunt quibus, dum securus hospes, dira morborum renovatur cohors. Cum itàque ex cognitâ calcis, gypsi colorumque effluviorum naturâ constet, materiam acrem & corrosivam, illarum compositionem pro maximâ parte ingredi: cum aliundè extra dubium positum sit miasmata illa, aëri incluso & omni ferè elatere orbato commista sanitati esse infensissima; hisque copiam admoveat observationum auctoritas, in pronum est dicere.

(*a*) *Guidonis Pancirolli* rer. memor. sive deperditar. Pars prior. Commentar. illustr. ab *Henrico Salmuth*.

(*b*) *Vide* eximiam Thesim *M. Le Begue de Presle*, an conspirantibus Medicis & Magistratibus sanitas publica conservari, & morbi præcaveri possint? 29 Martii 1759.

*Ergo Domos nuper extructas habitare noxium.*

Proponebat Parisiis MATTHÆUS-THOMAS LA CASSAIGNE, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1763.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.